

175

tis et viginti annis constructa ab Alexandro Macedone Magno, intra  
spatium XVII dierum, cum sex millibus murorum passibus con-  
dita fuit, cuius situs chlamydis formam habuit, et latera, quae in  
longum tendebant circumvallabantur stadiorum ferme XXX, et  
universa viis distincta erat, quibus equi et currus conduci pote-  
rant, sed duabus latissimis, quae plus jugero expandebantur, et  
sese medias ad rectos angulos secabant. Munitur autem undique,  
ut inquit Josephus, incommeabili solitudine aut importuoso mari,  
aut fluminibus, aut silvosis paludibus. Verum ante Alexandrum  
M. fuit in eo loco alia civitas, dicta Noo, ut habet S. Hieronymus  
de vita et obitu S. Paulae, quam Alexander depositit, et novam  
gloriosam exstruxit, quae multas habuit regias (?), magnam urbis par-  
tem occupans (occupantes?) Quilibet enim regum (135 a) illam  
pro libitu voluntatis suae aliquo ornamento spectabili decorabat,  
et alii potentes aliis eam venustabant insignibus; et in quodam  
ejus prodigioso aedificio corpus Alexandri Magni alveolo aureo  
reconditum fuit, quod post quidam Syriae rex rapuit. De mira-  
bilibus templis idolorum in ea constructis venit postea in de-  
scriptione Aegypti dicendum, de quo tamen videre potes in eccle-  
siastica historia L. II. C. 31. et consequenter. Est autem civitas  
haec totius Aegypti metropolis, sita in ea parte, quae Libyam  
respicit in Africa, in confinio culti soli, ita, ut extra urbis moenia  
versus solis occasum vasta protinus eremus adjaceat, nec longe  
sita est a Nili ostio, ita, quod certo tempore solito fluminis in-  
cremento pars urbem influit, quam aquarum influxionem cisternis  
amplissimis et specubus subterraneis pro toto anno ad eorum usum  
reservant. Tota enim urbis fundatis in solo arcubus et testudini-  
bus superaedificata sustentatur, et in illas concavitates defluit Nili  
aqua, nec aliam ibi aquam potabilem habent, quae insuetis insa-  
na et febrilis est, nam omnes paene galeotae classis febris in-  
fecti fuerant propter aquae potum, quam in caloribus intempe-  
ranter biberant.

Civitas haec est commodissime sita ad celebranda commer-  
cia, portus habens duos disjunctos, lingua quadam interacente  
valde angusta, in cuius capite est turris mirae altitudinis, quam  
Julius Caesar dicitur aedificasse, quam nominant Fareglan, sicut  
et totum portum cum interacente lingua et aedificiis.

Portus anterior est pro navibus Christianorum suscipiendis,

